Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



mortis eius simul et resurrectionis eius: hoc scientes quia
uetus homo noster simul crucifixus est ut destruatur corpus peccati:
ut ultra non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est: iustificatus
est a peccato. Si autem mortui sumus cum christo: credimus quia simul etiam uiue
mus cum christo: scientes quod christus resurgens a mortuis iam non moritur: mors
illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus est peccato mortuus est
semel: quod autem uiuit uiuit deo. Ita et uos existimate uos mortuos quidem
esse peccato: uiuentes autem deo: in christo iesu domino nostro. ℣. Psalm.
Illo t. Dixit iesus discipulis suis: Amen dico uobis: nisi habundauerit iustitia
uestra plus quam scribarum et phariseorum non intrabitis in regnum celorum. Au
distis quia dictum est antiquis: non occides. qui autem occiderit reus erit
iudicio. Ego autem dico uobis: quia omnis qui iratus fuerit fratri suo reus erit
iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha: reus erit concilio. Qui autem
dixerit fatue: reus erit gehenne ignis. Si ergo offers munus tuum ad al
tare et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: re
linque ibi munus tuum ante altare: et uade prius reconciliare fratri tuo. Et
tunc ueniens offeres munus tuum. Dom. vii. Ad Romanos.
Fres. Humanum dico: propter infirmitatem carnis uestre. Sicut enim ex
hibuistis membra uestra seruire immunditie et iniquitati ad iniquitatem:
ita nunc exhibete membra uestra seruire iustitie in sanctificationem. Cum enim serui
essetis peccati: liberi fuistis iustitie. Quem ergo fructum habuistis tunc in quibus
nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc uero liberati a pecca
to. serui autem facti deo: habetis fructum uestrum in sanctificationem: finem uero
uitam eternam. Stipendia enim peccati mors: gratia autem dei uita eterna: in christo
iesu domino nostro. ℣. Marcum.
Illo t. Cum multa turba esset cum iesu. nec haberent quod manducarent:
conuocatis discipulis suis ait illis. Misereor super turbam: quia ecce iam
triduo sustinent me. nec habent quod manducent. Et si dimisero eos
ieiunos in domum suam: deficient in uia. Quidam enim ex eis de longe
uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui. Unde istos poterit quis saturare
panibus in solitudine? Et interrogauit eos. Quot panes habetis? Qui